Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

pascimur ut ad res ipsas durantes pervenire possimus. Operarii enim sumus,
et adhuc in vinea laboramus. finito die. finito opere, merces restituetur.
Sed quis operarius perdurat ad accipiendam mercedem, nisi qui pascitur dum labo
rat. Non enim et tu operario tuo mercedem solam daturus es. Nonne etiam
afferes illi unde vires reparet in labore. Pascis utique cui merce
dem daturus es. Inde et nos dominus istis scripturarum significationibus
pascit laborantes. Nam si ista intelligendorum sacramentorum leticia sub
trahatur a nobis. deficimus in labore, et non erit qui perveniat ad mercedem.
Quomodo ergo quadragenario numero perficitur opus. fortasse ideo quia lex in decem
preceptis data est. et per totum mundum predicanda erat lex. qui totus mundus
quattuor partibus commendatur. oriente. et occidente. et meridie. et aquilone.
unde denarius per quattuor multiplicatus ad quadragenarium pervenit. vel
quia per evangelium quod IIII. libros habet impletur lex. quia in evangelio dictum
est. non veni solvere legem. sed implere. Sive ergo illa. sive ista causa. sive
alia aliqua probabiliore que nos latet. doctiores non latet. certum est tamen
quadragenario numero significari quandam perfectionem in operibus bo
nis. que maxime opera exercentur in abstinentia quadam ab illicitis
voluptatibus seculi. hoc est generali ieiunio. Audi apostolum dicentem.
Plenitudo legis caritas. Caritas unde? Per gratiam dei. per spiritum sanctum.
Non enim haberemus illam ex nobis. quasi facientes illam nobis. Donum dei est.
et magnum donum. quoniam caritas dei inquit diffusa est in cordibus nostris.
per spiritum sanctum qui datus est nobis. Caritas ergo implet legem. Et verissime
dictum est. plenitudo legis caritas. Queramus hanc caritatem quem
admodum commendatur a domino. Mementote quid proposuerim. numerum
XXXVIII. annorum in illo languido volo exponere. quare nu
merus ille tricesimus et octavus languoris sit potius quam sanitatis.
Ergo ut dicebam. caritas implet legem. Ad plenitudinem legis
in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus. in caritate autem duo
nobis precepta commendantur. Intuemini obsecro et figite memorie
quod dico. ne sitis contemptores verbi. ne fiat anima vestra via ubi
grana iactata non germinent. et venient inquit volatilia celi
et colligent ea. Excipite et recondite cordibus vestris. Caritatis precep
ta duo sunt a domino commendata. Diliges dominum deum tuum ex toto
corde tuo. et ex tota anima tua. et ex tota mente tua. et dili
ges proximum tuum tamquam te ipsum. In his duobus preceptis tota lex